

simul ad novicios eum confugisse libros, unde interpolaret pristinam scripturam vel explicaret, liquido apparebit, si exempli gratia monuero ep. 1, 1 inter *quaedam et tempora* ab L³ superscriptum esse *enim*, supra *tamen* ab eadem *at tantum*, supra *fit* additum esse *at euenit*, ep. 1, 2 ad *mortem* in margine adiecisse eam *quasi procul esse*, super *prospicimus* posuisse *at conicimus*, 1, 4 post *dicere* supra versum supplevisse *me*, 1, 5 pro *et bono tempore incipies* voluisse *et bono tempore uti incipias*. ineptiret igitur, si quis tam inutili sarcina editionem impediret. sed etiam in eis quae secunda manus novavit commemorandis parcum me exhibui. neque enim vidi cuius scire interesset ep. 33, 1 *asscribi* mutari ex *adscr-* ab L², 36, 2. 4. 37, 4. 5. 40, 14 *quemamodum* ex *quemadm-*, 36, 9 *aminiculum* ex *adm-*, 41, 1 *amittat* scribi pro *adm-*, 41, 3 *amiratio* pro *adm-* aliaque istorum similia quae referre immensum est. non magis curavimus numerationem epistularum marginalem, quam secundae manus esse satis certum videtur Krollio. nihili istam esse vel inde patet, quod ep. 50 et 51 eodem signantur numero X. ad eandem manum probabiliter referuntur etiam librorum numeri (velut LIB VI sim.) breviter indicati in margine superiore. scias autem ut salutationis formulam litteramque epistularum principalem ita etiam librorum inscriptiones suo loco a rubricatore exaratas esse uncialibus. etiam plures quam quae modo significatae sunt manus distingui possunt in scholiis margini interdum impositis. ea cum nullius pretii esse Ihm et Kroll uno quod aiunt ore adfirment, bonae chartae meae peperci. quam recte illi iudicarint ut uno saltem alterove exemplo comprobetur, epistulae 6, 3 (*cum animos — trahit*) adscripta sunt haec *Ordo uerborū honestū cupiens similes uoluntas in societatem trahit*, dein ad *quidni* pertinens scholium hoc *Ni p ergo interrogatio p comparationē*.

Venetum librum (V), de quo recte iudicium fecit Gertz *Berl. philol. wochenschr.* 1889 p. 403, postquam accuratius cognovi ex descriptione, quam eodem anno in Buecheleri usum fecerat Alfredus Holder, cum Haasii editionis contextu mihi contulit Guilelmus Kroll m. Decembri a. 1895. est co-